



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica  
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ  
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

**Bucer, Martin**

**Genevae, 1613**

De bonis operibus 17

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34315**

## Nona Accusatio.

## De bonis Operibus.

## CAPVT XVII.

**P**RIMA reprehensio Aduersariorum in hoc Articulo hæc est: Librum Reformationis docere, illa sola esse bona opera, quæ in decalogo mandata sunt, quodque de reliquis omnibus operibus scriptum sit, *Frustra me colunt mandatis hominum*: Et quod contra talia agitur, non esse peccatum.

## Responsio ad primam partem.

*Quanam habenda sint bona Opera.*

## CAP. XVIII.

**H**OC loco rursus notetur istorum hominum improbitas. Liber Reformationis proponit quæstiones aliquot de Bonis Operibus, quarum prima est, Quanam opera facienda sint? Item, Quanam bona opera & docenda & facienda sint? Ad quam quæstionem ita respondet, Quæ Deus ipse in præceptis Decalogi præcepit, & quæ in his iuxta interpretationem Christi & Apostolorum continentur. Nam hoc imprimis cauendum, ut ne cultus Dei, & opera sine verbo excogitemus, Ideo & Christus inquit Matth. 15. *Frustra colunt me mandatis hominum.*

Contra hanc doctrinam Aduersarij geminam improbitatem admittunt, Prima est, quod ex Libro Reformationis non plura quam hæc verba adducunt, Quæ Deus in decalogo præcepit, omittunt autem quod in Libro sequitur, & hæc præcedentia verba declarat, nempe (Et quæ in his iuxta interpretationem Christi & Apostolorum continentur) Quæ appendice omnia bona opera, quæ vnquam ab homine fieri possunt, comprehenduntur. Altera hæc est. In libro ponitur: Cauendū esse, ut ne cultus Dei & opera sine verbo excogitemus. Idcirco dicere Christum, *Frustra colunt me mandatis hominum.* Et hoc Christi dictum adducit liber, de iis tantum operibus & cultibus Dei, quos homines ex suo ingenio excogitant, sine verbo Dei. Aduersarij verò dicunt, id citari à Libro de reliquis omnibus operibus, quæ in decalogo expressè mandata non sunt. Et postea (Mandari in decem præceptis) ad ea tantum opera referunt, quæ in decalogo præceptorum sunt disertè mandata & expressa. Annexam enim in Libro declarationem omittunt, quæ est (Et quæ in his iuxta interpretationem Christi & Apostolorum continentur. An verò pios Clericos decet, Christianæ & S. Scripturæ quæ maxime consentanea Archiepiscopi sui verbo tā apertè decurbare & peruertere?)

Cæterum veritas Christi & defensio Libri in hac parte sic se habet.

Decem præcepta iuxta interpretationem Christi, Matth. 5. & Pauli Rom. 7. & 10. 1. Tim. 1. & 1. Ioa. 3. & Heb. 4. omnia bona quæ homo vel cogitare, taceo re ipsa perficere potest, in se comprehendunt. Complectuntur enim veram ac plenam fidem, firmam ac solidam